



3 1761 08824276 3

UNIV OF
TORONTO
LIBRARY



Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

Codices Graeci et Latini

photographice depicti

duce SCATONE DE VRIES

Bibliothecae Universitatis Leidensis Praefecto

SUPPLEMENTUM IV

TACITI Dialogus de oratoribus et Germania
SUETONII de viris illustribus fragmentum

Codex Leidensis Perizonianus



LUGDUNI BATAVORUM

A. W. SIJTHOFF

1907

B

TACITI
DIALOGUS DE ORATORIBUS ET GERMANIA
SUETONII
DE VIRIS ILLUSTRIBUS FRAGMENTUM

Codex Leidensis Perizonianus

phototypice editus

Praefatus est GEORGIUS WISSOWA



LUGDUNI BATAVORUM

A. W. SIJTHOFF

1907

149642
24/4/19

PRAEFATIO.

Codicis Leidensis Perizoniani XVIII Q. 21 imaginem, quam hoc volumine edimus, paucis praefari iussus a viro egregio SCATONE DE VRIES totius operis auctore non id meum esse putavi, ut librorum, quos hic codex comprehendit, Taciti videlicet Dialogi et Germaniae et Suetoniani de grammaticis et rhetoribus fragmenti, historiam criticam totam enarrarem universamque explicarem de codicum superstitem fide et familiis et de recta recensendi ratione quaestionem, sed ea tantum huic loco convenire mihi visa sunt, quae ad ipsius codicis historiam illustrandam eiusque auctoritatem recte aestimandam ficerent. itaque ipsius codicis descriptioni praemittendum esse censui quicquid de libri archetypi, e quo cum reliquis horum opusculorum codicibus etiam Leidensis descendit, inventione fatisque usque ad transcriptum nostrum codicem certis aut probabilibus rationibus exquiri potuit. quibus studiis nuperrime saluberrima lux inde affulsit, quod extracto e tenebris codice Aesino huius ipsius archetypi e Germania in Italiā delati octo folia recuperavimus: cuius codicis editionem CAESARIS ANNIBALDI industria et doctrina adornatam ¹⁾ quod his ipsis diebus, quibus haec scribo, auctoris comitate ad me transmissam in usum vocare potui, magno huius opusculi commodo factum est.

¹⁾ *L'Agricola e la Germania di Cornelio Tacito nel MS. latino n. 8 della biblioteca del conte G.-Balleani in Iesi, a cura di Cesare Annibaldi, con prefazione del Prof. Nicola Festa, Città del Castello 1907.*

I.

Taciti librorum minorum, quorum memoria per medium aevum paene tota evanuerat, recuperandorum post renatas litteras prima doctis Italis spes sese monstravit circa finem anni 1425, cum monachus quidam Hersfeldensis per litteras Francisco Poggio inventarium librorum antiquorum offerret, quos cum voluminibus nonnullis legalibus a Poggio praebendis se permutare velle dicebat. quid illud inventarium continuerit Poggius breviter indicat ita, ut inter ea volumina fuisse testetur Iulium Frontinum et aliqua opera Cornelii Taciti tum temporis ignota (vide Poggii litteras Romae die 3. m. Nov. a. 1425 ad Nicolaum de Nicolis datas apud Tonellum, Poggii epist. vol. I p. 168 sive apud Michaelis in editione Dialogi p. XX). accuratiorem notitiam debemus Antonio Panormitae, qui eiusdem inventarii apographo usus mense Aprili anni sequentis 1426 Bononia haec scribit Guarino Veronensi, ad quem iam mense Ianuario eiusdem anni brevis de invento Tacito notitia data erat (vide epistulam Guarini scriptam Veronae XXVI Ianuarii editamque a Remigio Sabbadini *Studi Italiani di filologia classica* vol. VII a. 1899 p. 120): „Compertus est Cor. Tacitus de origine et situ Germanorum. Item eiusdem liber de vita Iulii Agricolae isque incipit: ‘Clarorum virorum facta’ ceterave. Quinetiam Sex. Iulii Frontonis liber de aqueductibus qui in urbem Romam inducuntur; et est litteris aureis transcriptus. Item eiusdem Frontonis liber alter, qui in hunc modum iniciatur: ‘Cum omnis res ab imperatore delegata mentionem exigat’ et cetera. Et inventus est quidam dialogus de oratore et est, ut coniectamus, Cor. Taciti, atque is ita incipit: ‘Saepe ex me requirunt’ et cetera. Inter quos et liber Suetonii Tranquilli repertus de grammaticis et rhetoribus: huic initium est: ‘Grammatica Romae’”, addens haec omnia cum multis aliis libris uno loco simul esse et propediem ad quendam sibi coniunctissimum missum iri (epistulam Panormitae e codicibus Marciano XIV 221 f. 95 et Ravennate Classensi 419, 8 f. 3 edidit Sabbadini l. c. p. 125). videtur autem illud inventarii apographum, quod Panormitae amici Romani commodaverant, satis neglegenter factum fuisse: aliter enim non potuit Frontonem pro Frontino ponere et quae de aqueductuum libris notata erant ita confundere, ut

duarum diversarum eiusdem auctoris scriptionum species evaderet¹⁾; eadem neglegentia factum est, ut Frontini liber inter opera Tacitea medius interpositus eiusdem codicis cuius haec fuisse videatur, cum re vera Frontinum alio volumine perscriptum fuisse extra dubitationem positum sit. complectebatur ergo illud volumen Taciteum, quod monachus Hersfeldensis offerebat, Taciti Germaniam Agricolam Dialogum adnexo Suetonii de grammaticis et rhetoribus fragmento. sed bonus ille monachus promissis neutiquam stetit. vere anni 1427 Romam reversus Poggio novum inventarium attulit plurimum voluminum, quo examinato hic de spe, quam maximam e verbis monachi conceperat, decidit, cum pleraque opera ibi enumerata Romae iam dudum nota esse videret: nihilo setius cum monacho agere coepit de asportandis Romam Ammiano Marcellino, prima decade Titi Livii et uno volumine orationum Tullii, in primis autem de volumine illo Cornelii Taciti, quo se maxime indigere fatetur (vide Poggii ad Nicolaum epistulas XVI Kal. Iun. et pridie Kal. Iun. a. 1427 scriptas apud Tonellum p. 207 sqq., Michaelisium p. XXI). sed iterum spes Poggii frustrata est; nam post diuturnam exspectationem monachus mense Februario a. 1429 Romam rediit, sed absque libro, multumque a Poggio est increpatus, qui tamen, cum monachus ille Romanorum favore egeret, se illum librum post tot discrimina rerum nihilominus esse habiturum sperare non desiit, sicut testatur epistula die 26. m. Febr. ad Nicolaum data (apud Tonellum p. 268, Michaelisium p. XXII). quo loco thesauri illi a monacho indicati simul latuerint, coniectura tantum non certa assequi licet, cum Ammiani mentio, de cuius codice Hersfeldensi constat (cf. H. Nissen, Ammiani Marcellini fragmenta Marburgensia p. 13 sq.), ipsum hoc monasterium, cui monachus ille addictus erat, apertissime arguat. ceterum quod acute Sabbadinus (l. c. p. 128 sq.) probante Annibaldo (l. c. p. 77 n. 2) suspicatus est, eosdem codices, quos Hersfeldensis monachus a. 1427 obtulit, iam a. 1422 Bartholomaeum de Capra archiepiscopum Mediolanensem apud Germanos vidisse, satis exili fundamento nititur, videlicet duobus verbis Poggii ‘tales historicos’, quos num re vera Bartholomaeus invenerit dubitare se ait in epistula Londinii die X m. Iunii (1422) scripta (apud Tonellum p. 81).

¹⁾ decepit haec confusio Sabbadinum, qui Frontini et aqueductum et strategematon libros indicari putat (l. c. p. 129), quod certe minus recte fecit, cum Panormita duorum, quos falso discernit, librorum alterius titulum adscribat ‘de aquae ductibus’, alterius initium, quod est ipsum initium eiusdem operis de aqueductibus.

Monachum Hersfeldensem, quamvis Poggio parum fidelem se praestiterit, tamen de codicibus illis indicium facientem non omnino fumum vendidisse apparuit plus quinque lustris post opera Alberti Enoch Asculani vere anni 1451 a Nicolao quinto pontifice maximo ad conquirendos libros graecos et latinos in regiones septentrionales missi, qui sub finem a. 1455 Romam reversus praeter elegias in Maecenatem¹⁾, Orestis tragoeidiam²⁾, Apicum, Porphyronis in Horatium commentum, Itinerarium Antonini³⁾ secum advexit eum codicem, ad quem noster ipse liber Leidensis se redire testatur hac nota in primi folii parte aversa posita: „Hos libellos Iouianus Pontanus excripsit nuper adinuentos et in lucem relatos ab Enoc Asculano quamquam satis mendosos. MCCCCLX Martio mense” similiterque in margine folii 47 aversi: „Temporibus enim Nicolai quinti pontificis maximi Enoc Asculanus in Galliam et inde in Germaniam profectus conquirendorum librorum gratia, hos quamquam mendosos et imperfectos ad nos retulit”, quae et ipsa subscriptione testante verba sunt Ioviani Pontani Umbri. qui cum ita pergit: „cui — id est Enocho — sic habendae sunt gratiae, ut male imprecandum est Sicconio Polentono Patauino, qui cum eam partem, quae est de oratoribus ac poetis, inuenisset, ita suppressit, ut ne unquam in lucem uenire posset. quam ego cum Patauii perquirerem, tandem reperi eam ab illo fuisse combustam, ipsumque arrogantia ac temeritate impulsu de uitis illustrum scriptorum loquacissime pariter et ineptissime scripsisse”, haec narratio certe veritate omnino caret numerandaque est inter rumores malivolos, quales illis temporibus virorum doctorum invida malignitas frequentes procreare solebat. nam cum Sicconii Polentoni Patavini de illustribus scriptoribus linguae latinae libros XVIII anno 1433 absolutos fuisse constet (vide Sabbadinum *Scoperte* p. 184 sqq.), non modo de Suetonii viris illustribus ante hunc annum repertis nullum exstat testimonium, sed in primis Polentonum Suetonii ne minimam quidem habuisse notitiam ipsum opus satis exile et ineptum luce clarius

¹⁾ cf. Tycho Mommsen in *Mus. Rhen.* vol. VI a. 1848 p. 627. Aem. Baehrens in *Poet. lat. min.* vol. I p. 125.

²⁾ cf. Fr. Vollmer in editione Merobaudis, Dracontii, Eugenii Toletani a. 1905 in publicum emissas p. XXXII sq. n. 2.

³⁾ adeundus est ut de omnibus his quaestionibus ita de Enochit invenere et codicibus Remigii Sabbadini liber insignis doctrinae et optimae frugis plenissimus *Le Scoperte dei Codici latini e greci nei secoli XIV e XV* (Florentiae 1905) p. 140 sqq.

demonstrat; qua de re videndi sunt Ritschelius Parerg. Plaut. et Terent. p. 612 sqq. 629 sqq. et Reifferscheidius in Sueton. reliqu. p. 364. longe autem a vero aberravit vir ceteroquin de his studiis insigniter meritus Georgius Voigt¹⁾), cum una cum hac de Polentoni fraude nota etiam universae Pontani narrationi de Enoch libri archetypi inventore fidem esse derogandam censeret, monens etiam Poggium et Vespasianum de Bisticcis per litteras de Enoch industria satis contemptim iudicavisse, quod fieri non potuisse arbitrabatur, si ille Taciti et Suetonii libros adhuc ignotos repperisset. sed de codice Taciti et Suetonii ab Enoch reperto iam nulla esse potest dubitatio novis nuper editis documentis, quorum ope ipsius codicis historiam curiosius persequi licet.

Pontanus cum de solis libris in codice Leidensi descriptis i. e. Taciti Dialogo et Germania et Suetonii de grammaticis et rhetoribus fragmento testetur, Agricolam vero omittat, quaeritur, num ne Enoch quidem liber hunc librum complexus sit eoque diversus fuerit a codice Hersfeldensi, in quo inter Germaniam et Dialogum Agricolam positum fuisse Panormita auctor est. sed utrumque librum, eum, quem monachi Hersfeldensis inventarium descriperat, eumque, quem Enoch secum e Germania advexit, unum eundemque fuisse certum est, ex quo per Remigium Sabbadini²⁾ e codice Ambrosiano R 88 sup. f. 112 publici iuris facta sunt, quae Petrus Candidus Decembrius sacrae sedis secretarius sub ipsum tempus redditus Enoch in diario suo notavit:

„Cornelii taciti liber reperitur Rome visus 1455 de Origine et situ Germanie. Incipit: Germania omnis a Gallis retiisque et panoniis Rheno et danubio fluminibus a Sarmatis dacisque mutuo metu aut montibus seperatur. cetera oceanus ambit. Opus est foliorum XII in columnellis. Finit: Cetera iam fabulosa helusios et oxionas ora hominum vultusque corpora atque artus ferarum gerere. quod

¹⁾ *Die Wiederbelebung des classischen Altertums* ed. tert. vol. I p. 255 n. 3; vol. II, p. 202 n. 1, adstipulantibus et Alfredo Gudeman in editione Dialogi a. 1894 p. CXX n. 206 et Ricardo Wuensch in Hermae vol. XXXII a. 1897 p. 57 sqq. quantopere a probabilitate abhorreat Voigtii coniectura, Taciti opuscula iam paulo post annum 1430 in Italiam pervenisse, sed altissimo silentio pressos intra paucissimos homines latuisse, bene exposuit Annibaldi l. c. p. 143 sqq., per quem doctus sum etiam Sanctum Consoli in libro, quem ipse inspicere non potui, *L'autore del libro de origine et situ Germanorum* (Romae 1902) Voigtianae sententiae sese addixisse.

²⁾ *Rivista di filologia classica* vol. XXIX a. 1901 p. 262 sq., cf. *Scoperte* p. 141 sq. 166.

ego ut incompertum in medium relinquam. Utitur autem cornelius hoc vocabulo *inscientia* non *Inscitiae*¹⁾.

Est aliis liber eiusdem de Vita Iulii agricole socii sui. in quo continetur descriptio Britanie Insule nec non populorum mores et ritus. Incipit: Clari-
rorum virorum facta moresque posteris tradere antiquitus usitatum. ne nostris quidem temporibus quamquam incuriosa suorum etas omissit. Opus foliorum decem et quattuor in columnellis. Finit: Nam multos veluti inglorios et ignobiles oblivio obruet. Agricola posteritati narratus et traditus superstes erit.

Cornelii taciti dialogus de oratoribus. Incipit. Sepe ex me requiris iuste fabi cur cum priora secula tot eminentium oratorum ingeniis gloriaque floruerint, nostra potissimum etas deserta et laude eloquentie orbata vix nomen ipsum oratoris retineat. Opus foliorum XIII in columnellis. Post hec deficiunt sex folia. nam finit: quam ingentibus verbis prosequuntur. Cum ad veros iudices ventum. Deinde sequitur: rem cogitare nihil abiectum nihil humile. Post hec sequuntur folia duo cum dimidio. et finit: Cum adrisissent discessimus.

Suetonii tranquilli de grammaticis et rhetoribus liber. Incipit: Grammatica rome nec in usu quidem olim nedum in honore ullo erat. rudis scilicet ac bellicosa etiam tum civitate necdum magnopere liberalibus disciplinis vacante. Opus foliorum septem in columnellis. Finit perprius: Et rursus in cognitione cedis mediolanii apud lucium pisonem proconsulem defendens reum. cum cohiberent lictores nimias laudantium voces ita excanduisset. ut deplorato Italie statu quasi iterum in formam provincie redigeretur. M. insuper brutum cuius statua in conspectu erat invocaret Regum ac libertatis auctorem ac vindicem. Ultimo imperfecto columnello finit: diu ac more concionantis redditis abstinuit cibo. Videtur in illo opere Suetonius innuere omnes fere rhetores et Grammatice professores desperatis fortunis finivisse vitam”.

qua in descriptione quamvis Enochii nomen taceatur, tamen nemo erit

¹⁾ pertinet ad Germ. 16, 7, ubi tamen omnium quotquot innotuerunt codicum nullus *inscientia* pro *Inscitiae* praebet.

qui dubitet, quin ipse sit codex ab illo inventus, qui hic describitur, idemque is, quem Pontani notae commemorant, praesertim cum et Suetonii fragmentum in eadem verba desinat in quae nostri codices omnes et in Dialogo eadem sex foliorum lacuna pateat, quae in Leidensis f. 26^r relicto spatio yacuo additisque in margine verbis ‘deerant in exemplari sex pagelle uetustate consumptae’ indicatur. Agricola Decembrio teste inter Germaniam et Dialogum in codice servatus cur ab apographo Pontani reliquisque eiusdem prosapiae libris absit mox quaeremus, postquam libri Enochiani fata ulterius persecuti erimus.

Rediit Enoch Romam compluribus mensibus post Nicolai quinti pontificis maximi mortem. nam cum Nicolaus diem supremum obierit d. XXIV m. Martii a. 1455, libros ab Enocho in Italiā asportatos primi commemorant Antonius Panormita in epistula die non indicato ad Ioannem Aurispam data, hic quidem Caesaris iter (hoc est Itinerarium Antonini) et Apicum nominans, praeter hos etiam Porphyronem in Horatium Aurispa post paucos dies Panormitae rescribens idibus Decembribus a. 1455¹⁾. iam vero cum Nicolai successor Calixtus tertius libris antiquis colligendis ita non faveret, ut vel rumor esset fore, ut codices a Nicolao indefesso studio enormique impensa conquisiti divenderentur, Enoch unde longinqui et laboriosi itineris dignam mercedem assequeretur dubius circumspiciebat, ubi librorum e Germania advectorum inter homines bonarum litterarum studiosos emptorem liberalissimum inveniret. quos quo maiore pretio venderet, describendi copiam nemini faciebat, sed soli Aurispae Apicum inspiciendum commisit, aliis per inventarium solum de codicum arguento certioribus factis, ita ut per plus quam duos annos ipsorum librorum textus quasi sub modio clausus lateret. nam die XXVIII m. Augusti a. 1457 haec Aurispa scribit Antonio Panormitae: „hisce diebus fuit hic Enochus. cum eum rogarem, ut eorum codicum quos e longinquis partibus attulit mihi copiam faceret, et praecipue Porphyronem super operibus Horatii petebam, respondit se velle omnia prius Alphonso regi tradere; cui opinioni ego hominem maxime sum exhortatus”²⁾. Alphonsus rex Aragoniae quo animo condicionem ab Enocho oblatam acceperit nescimus. sed eodem tempore etiam alios viros litterarum antiquarum ama-

¹⁾ epistulas edidit Sabbadinius *Biografia documentata di Giovanni Aurispa* p. 131—133, cf. etiam Victorius Rossi in *commentatione* mox indicanda p. 138 sq. n. 4.

²⁾ Sabbadini l. c. p. 128; de tempore epistulae non anno 1455 sed anno 1457 vindicandae cf. V. Rossi l. c.

tores Enochii librorum non incuriosos fuisse docuerunt epistulae a Carolo de Medicis, Cosimi filio spurio, protonotario apostolico ad Ioannem fratrem, genuinum Cosimi filium, datae, quas nuper Victorius Rossi ex tabularii publici Florentini copiis edidit docteque illustravit¹⁾. his in litteris codicum ab Enocho servatorum prima mentio fit die XIII m. Martii a. 1456 (apud Rossium p. 131), quo die Carolus fratri petenti inventarium illorum mittit addens, Enochum magnum librorum pretium exspectare, quamquam non plus quam quattuor ex eorum numero vere memorabiles sint, reliqui nauci faciendi. hi quattuor qui fuerint alia epistula declarat, scripta ea quidem die X m. Decembris a. 1457 (apud Rossium p. 134 sq.), in qua nominantur Apicius, Porphyrio, Suetonius de viris illustribus, Itinerarium Antonini: quorum librorum aut ipsa exemplaria aut apographa Carolus de Medicis, cum ipse Enoch paulo ante Asculi in urbe patria mortuus esset, ut procurarentur petiisse se scribit a Stephano de Nardinis regionis Anconitanae praeside. cuius tamen opera eventu caruisse videtur: nam ex ultima Caroli epistula, quae scripta est d. XIII m. Ian. a. 1458 (apud Rossium p. 135), libros Enochianos tum quidem usui virorum doctorum nondum reclusos fuisse patet. quocum insigniter concinit quod Taciti Dialogum et Germaniam et Suetonii ex opere de viris illustribus fragmentum post mensem demum Novembrem a. 1457 in publicum penetrasse testatur eiusdem notae Pontaniana in codicis Leidensis f. 47^v ad initium fragmenti Suetoniani adscriptae, cuius supra p. IV mentionem fecimus, pars prior: „C. Suetonius scripsit de viris illustribus, cuius exemplum secutus Hieronymus ipse quoque libellum de scriptoribus christianis edidit. nuper etiam Bartholomeus Facius familiaris noster de uiris illustribus temporis sui libros composuit, qui ne hos Suetonii illustres uiros uidere posset mors immatura effecit. paulo enim post eius mortem in lucem redierunt, cum multos annos desiderati a doctis hominibus essent”. mortuus autem est Bartholomaeus Facius mense Novembri a. 1457. paulo autem post Aeneas Silvius de Piccolominis cardinalis Senensis, quem in comparandis sibi libris Enochianis elaborare iam paenultima Caroli de Medicis epistula die X m. Dec. a. 1457 scripta significat (apud Rossium p. 135), in tractatu

¹⁾ *Rendiconti della R. Accademia dei Lincei, Classe di scienze morali, storiche e filologiche* ser. V vol. II a. 1893 p. 129 sqq. Rossii dissertationem nostratum in usum excerptis paucisque de suo auxit Maximilianus Lehnerdt in Hermae vol. XXXIII a. 1898 p. 499 sqq.

Kalendis Februariis a. 1458 ad Martinum Mayerum cancellarium Moguntini praesulis misso (in exemplaribus impressis inscribi solet ‘de ritu situ moribus et conditione Germaniae’) tam apertam prodit Germaniae Taciteae cognitionem, ut quin huius libri apographum manibus versaverit dubitari nequeat¹⁾. id unum ambigi potest, utrum Aeneas solam Germaniam an etiam reliquos libros eodem archetypo traditos habuerit. priori sententiae hoc favere videtur, quod et codex olim Iuvaviensis nunc Stuttgartiensis Hist. IV n°. 152 intra annos 1457 et 1466 exaratus, quem Wuenschius l. c. p. 121 sq. satis probabilibus usus rationibus ex Aeneae apographo derivavit, et libri duo inter se cognati Laurentianus plut. 73, 20 et Romanus bibliothecae Angelicae S. 4.42, in quibus Germaniam antecedunt Francisci Aretini elegia in Pium II pontificem (id est Aeneam Silvium) et Diogenis epistulae cum praefatione Aretini ad eundem papam scripta (vide Wuenschium in Herm. XXXII 56), praeter Germaniam nihil horum librorum continent. sed sunt etiam alii codices, qui aliquam cum Aeneae studiis coniunctionem exhibeant, ut codex Vindobonensis tabularii publici 711 Germaniam Dialogum Suetonium complexus, scriptus Romae a. 1466 ab Hugo Haemste impensis Ioannis Hinderbach episcopi Tridentini, qui fuit Aeneae familiarissimus (cf. Lehnerdt l. c. p. 503), et Venetus S. Marci app. misc. cl. XIV 1²⁾ in primo folio Piccolominiorum armis pictis ornatus, in quo codice Suetonium Dialogum Germaniam a. 1464 Bononiae scriptos praecedunt diversa Aeneae opuscula orationes bullae consilio Ioannis Marcanovae, qui totum codicem exarandum curavit, cum illis libellis coniuncta: cum in utroque codice iidem tres libelli coniuncti tradantur qui in Leidensi, possis inde concludere, etiam Aeneam omnium trium apographum habuisse. ceterum non minus dubium est, utrum id quod in inventario Carolo de Medicis dato verbis ‘Suetonius de viris illustribus’ indicabatur, solum Suetonii fragmentum fuerit an totius libri Hersfeldensis apographum ita institutum, ut Suetonius primum locum occuparet, sicuti nunc in codice Vaticano 4498 (cf. Sabbadini *Rivista di filologia* XXIX 264): certe id quod olim Lehnerdtus (l. c. p. 501) suspicatus est, in ipso libro Enochiano Suetonium primum locum tenuisse ideoque omissis opusculis sequentibus


¹⁾ cf. R. Wuensch, *De Taciti Germaniae codicibus Germanicis* (Marpurgi Chattorum 1893) p. 121. Lehnerdt l. c. p. 502.

²⁾ cf. Massmann in editione Germaniae p. 19 sq. Wuensch in Herm. XXXII 56; ego libri, quem in Valentinelli catalogo frustra quaesiveris, accuratam descriptionem Wuenschio meo debeo.


solum in inventario commemoratum fuisse, nunc stare iam nequit, postquam per Decembrii diarium in libro ab Enoch in Italiam delato Germaniam ante Agricolam Dialogum Suetonium collocatam fuisse edocti sumus. per se minime improbabile est, Enochum, quo plurimum virorum litteratorum desideria excitaret maiusque pretium sumeret, libellos in codice Hersfeldensi consociatos singulos describendos curasse et empturientibus obtulisse. quod in Agricola eum re vera fecisse brevis de huius libelli fatis singularibus disputatio demonstrabit.

Enochum librum Hersfeldensem ipsum, non, ut antea putabatur, eius apographum recenti manu confectum in Italiam detulisse Sabbadinus (*Rivista di filologia* XXIX p. 264; *Studi Italiani* XI p. 224) recte inde conclusit, quod Decembrius codicem in columnellis, id est bipartita singularum paginarum scriptura, exaratum fuisse testatur, quae scribendi ratio ut frequens in libris vetustioribus ita aliena est a consuetudine saeculi XV. hanc rationem Sabbadinum non fefellisse apparuit invento codice Aesino (**E**), quo ipsius libri Hersfeldensis unus integer quaternio inclusus est. repertus enim est — ut breviter huius codicis historiam adumbrem doctum copiosumque Caesaris Annibaldi commentarium, quem in exordio laudavi, secutus — anno 1902 in bibliotheca comitis Aurelii Guilelmi Balleani Aesi (est autem oppidum *Iesi* provinciae Anconitanae) codex Dictyis libros belli Troiani et Taciti Agricolam Germaniamque continens itaque compositus, ut e foliis 76, quae universum volumen complectitur, 52 scripturam ostendant Carolinam, quam dicere solemus, saeculi decimi, quae restant ad illa supplenda descripta sint manu Stephani Guarnerii Auximatis, qui inde ab anno 1466 per viginti duos annos munere cancellarii urbis Perusinae functus est; omnes autem paginae et antiquae et suppletae binas columnas continent, ita ut appareat scripturam noviciam ad imitationem archetypi vetustioris dispositam esse. iam eam partem codicis, quae Dictym continet et amplectitur folia 1—51, in quibus antiqua XLIV (f. 5—8 et 11—50), novicia VII (f. 1—4. 9. 10. 51), hic missam facio, quia, quamvis eadem fere scripturae dispositione similique litteratura exarata sit, tamen secundum Annibaldum ab alio librario et ex alio codice provenisse videtur. ad Taciti autem Agricolam pertinent antiqua folia octo 56—63, quae textum inde a c. 13, 2 *munia impigre obeunt* usque ad 40, 6 *ex secretioribus missum* exhibent, cum et initium et finis libelli cum Germania tota a Stephano Guarnero suppleta sint. illa autem folia antiqua, quae integrum

quaternionem efficiunt, quinque foliorum noviciorum paribus ita involuta sunt, ut nonio evadat, cuius formam infra ita descripsi, ut folia antiqua numeris crassioribus signata sint:



primum huius nonionis folium (51) exitum Dictyis continet, folia 52—65, id est novicia IV, antiqua VIII, novicia altera II, Agricolam, inde a folio (novicio) 66 Germania incipit, quae continuatur per quaternionem sequentem sic dispositum:



explicitque in folio 75, ita ut folium ultimum adhibitum non sit. sed huius ultimi quaternionis foliorum par extimum (69 + 76) eiusdem vetustioris membranae est, cuius quaternio Agricolae antiquus (f. 56—63) eratque olim repletum scriptura eiusdem aetatis sed, ut visum est Annibaldo, alias manus atque hic ipse quaternio. folia 69 et 76 olim ita coniuncta erant, ut nullo alio folio interposito ultimus versus folii 69^v continuaretur primo versu folii 76^r, continebantque, ut ex apicibus litterarum non plane evanidis Annibaldius certo perspicere potuit, continuo tenore textum Agricolae inde ab iis verbis, in quae desinit folium antiquum 63^v usque ad finem libelli, ita ut iam dubitari nequeat, quin in codice antiquo folia 69 + 76 folium 63 exceperint. sed is, qui hunc quem nos habemus codicem Aesinum composuit, Stephanum Guarnerium dico, quae in foliis 69 + 76 prescripta erant, ea propria manu transscripsit in folia 64 et 65, ipsa vero folia antiqua 69 et 76 scriptura vetere erasa proximo quaternioni ita adhibuit, ut in priore folio partem Germaniae (c. 16, 13—21, 6) exararet, alterum in fine vacuum relinqueret. eadem autem ratione, qua Guarnerius veterum foliorum duorum 69 + 76 scripturam in duo novicia 64. 65 transtulit, etiam in priore parte Agricolae, quae antiquam superstitem praecedit, quattuor foliis noviciis (52—55) totidem antiquorum

scripturam eum instaurasse consentaneum est, unde sequitur Agricolam etiam in vetere codice ut in Aesino XIV folia tenuisse. cum autem in codice Hersfeldensi sive Enochiano teste Decembrio Agricola ‘foliorum decem et quattuor in columnellis’ fuerit, extra omnem dubitationem positum est, eum codicem, cuius VIII folia integra, duo scriptura erasa tenemus, ipsum fuisse Hersfeldensem. porro cum e sex foliis a Stephano Guarnerio suppletis duo (64. 65) ex eiusdem archetypi foliis deleticiis 69 + 76 descripta sint, hoc idem etiam in reliqua IV folia novicia cadere patet, ita ut in Agricola toto liber Aesinus codicem Hersfeldensem nobis praebeat aut ipsum aut transscriptum (vide Annibaldium l. c. p. 75 sqq. 137 sqq.).

Paulo intricior de Germania quaestio est, quam et ipsam a Guarnerio ex Hersfeldensi descriptam esse Annibaldius (l. c. p. 165 sqq.) censet. quod si ita est, certe in transscribenda Germania Guarnerius non tam diligenter quam in Agricola archetypi dispositionem servavit, cum Germania in Hersfeldensi teste Decembrio XII foliorum fuerit, in libro Aesino X expleat; praeterea Guarnerius ordinem librorum immutavisse censendus esset, cum Germania Agricolam in Hersfeldensi praecesserit, in Aesino subsequatur. sed gravior alia ratio est. quotquot aetatem tulerunt Germaniae Dialogi Suetoniani fragmenti codices hos libros aut singulos¹⁾ aut binos²⁾ complectuntur, integrum trium opusculorum seriem melioris notae codices sex, videlicet praeter nostrum Leidensem Vaticani 1862 et 1518, Neapolitanus IV C 21, Venetus S. Marci app. misc. cl. XIV 1, Vindobonensis tabul. publ. 711. quos

¹⁾ librum manuscriptum, qui Dialogum solum contineat, nullum novi. Germaniae hos enumero usus apparatu critico a Ricardo Wuensch amica comitate mihi commodato: Monacensem 5307 et Stuttgartiensem Hist. IV n°. 152 (de utroque cf. Wuensch, De Tac. Germ. cod. Germ. p. 80 sqq.), Laurentianum pl. 73, 20 cum Angelicano S. 4. 42 et Urbinate 412 affinitate coniunctum (vide Wuenschium in Herm. XXXII p. 55 sq.), Parisinum nov. acquis. 1180 (cf. Wuensch l. c. p. 48 sqq.), Ottobonianum 1795 (Wuensch l. c. p. 46), Turicensem bibl. canton. C 56, Harleianum 1895, Caesenatem (cf. M. Lehnerdt in Herm. XXXIII p. 504), Ariminensem bibl. Gambaunghiana D. IV. 112 (cf. Lehnerdt l. c. p. 505). R. Reitzenstein in Philologi vol. LVII a. 1898 p. 307 sqq.), Riccardianum 158 (cf. R. Sabbadini *Studi Ital. di filol. class.* XI p. 228 sq.), Cantabrigiensem universitatis Harvardiana apud transmarinos (cf. E. K. Rand *American Journal of Philology* vol. XXVI a. 1905 p. 300 sqq.). Suetonianum fragmentum solum exhibent Gudianus 93, Berolinensis lat. fol. 28, Bodleianus Canonianus lat. class. n°. 151, Philippsianus Cheltenhamensis 7283 (cf. R. Ellis *Journal of Philology* vol. XIX a. 1891 p. 174 sq. n. 1).

²⁾ Germaniam una cum Dialogo exhibent codices Vindobonensis bibl. Caes. Palat. 49 et Vaticanus 2964, Suetonium cum Dialogo Ottobonianus 1455, Parisinus 7773, Ambrosianus H 29 sup. (cf. R. Sabbadini *Studi Ital.* XI p. 211 sqq.), Harleianus 2639, Urbinas 1194.

codices dudum compertum est ad duo diversa archetypi apographa redire, ad alterum (**X**) Vaticanum 1862 (**A**) et librum Pontani, e quo Leidensis noster (**B**) descriptus est, ad alterum (**Y**) reliquos omnes, sed ita, ut inter eos Neapolitanus (**C**) cum Vaticano 1518 (**D**) potiorem locum teneat¹⁾. quod autem neutrum apographum cum reliquis libellis etiam Agricolam complectebatur aliter explicari nequit, nisi ut tum, cum describebantur, ipse Hersfeldensis iam hoc libro mancus fuerit, idque certe iam ante annum 1460, quo Pontanus suum codicem ex apographo **X** descriptsit. videtur Enoch aut is, ad quem post eius mortem Enoch res devenerant, huius opusculi prius quam reliquorum emptorem paratum et liberalem invenisse ideoque Agricolam ex voluminis compage solvisse, unde factum est, ut multo diutius hic quam reliqui tres libelli lateret in scriniis invidi possessoris et vel circa annum 1470, cum Vendelinus Spirensis omnium quae tum nota erant Taciti operum editionem principem curaret, haec Agricola careret, qui in huius editionis exemplari Vaticano addito apographo Pomponii Laeti manu scripto (cod. Vatic. 3429) suppletus est. quod autem alter codex Vaticanus 4498 quattuor libellos olim codice Hersfeldensi traditos omnes continet Suetonium Agricolam Dialogum Germaniam, non ita explicandum esse, ut hic ex ipso Hersfeldensi adhuc integro descriptus censeatur, ipso libro diligentius examinato manifestum fit, qui in Suetonio Dialogo Germania cum codicibus **C D** artissimo cognationis vinculo cohaeret²⁾ et quin ex apographo **Y** descenderit dubitari nequit, in Agricola vero non solum a codicis Aesini integritate, sed etiam ab exemplari Pomponii Laeti tam longe distat, ut inter ipsum et archetypum latius intervallum intercedere sumendum sit. itaque videtur hic Vaticanus e diversis exemplaribus compilatus esse (quo etiam id spectat, quod in hoc solo libro Suetonianum fragmentum adiuncto personati Plinii de viris illustribus libro suppletum est) et in eo Agricola postliminii demum iure in antiquum consortium cum tribus reliquis opusculis rediisse. nam cum horum fata communia fuerint, Agricola Hersfeldensis sua ipsius sorte usus est postremumque pervenit ad Stephanum Guarnerium ea condicione, ut medio quaternione

¹⁾ vide editores Suetonii Reifferscheidum (p. 413 sqq.), Dialogi Michaelis (p. X sqq.), Baehrensius (p. 44 sqq.), Gudemanum (p. CXX sqq.), Germaniae Muellenhoffum (*Deutsche Altertumskunde* IV p. 63 sqq.) virorumque doctorum commentationes ab his laudatas.

²⁾ cf. F. Scheuer, De Tacitei de oratoribus dialogi codicum nexu et fide [Bresl. philol. Abhandl. vol. VI fasc. I a. 1891] p. 17 sqq. Muellenhoff l. c. p. 72 sqq.

sospite folia prima IV et ultima duo, ut par est in fasciculo e medio codice avulso, tam male habita essent, ut Guarnerius religiose transscribendo ea instauranda censeret. cum autem liber Hersfeldensis quaternionibus compositus esset, quorum primum et alterius dimidium Germania foliorum XII explebat, alterum huius dimidium cum quaternione tertio et duobus foliis sequentibus foliorum XIV Agricola, huius folia IV prima desecta priore quaternionis parte inter se non iam cohaerentia quomodo detrimentum passa sint facile intelligitur (vide etiam Annibaldum l. c. p. 166). quo casu factum sit, ut in libro Hersfeldensi absoluto quaternione tertio id quod restabat Agricolae non in duabus primis foliis proximi quaternionis scriberetur, sed singulare foliorum par adhiberetur, nunc quidem coniectura probabili assequi non possumus (possis suspicari codicem simul a duabus librariis exaratum esse, quorum alter Germaniam et Agricolam, alter Dialogum et Suetonium scripserit). certe qui in Hersfeldensi sequebatur libellus, Dialogus scilicet, ab integro quaternione incipiebat, et cum secundum testimonium Decembrii (vide supra p. VI) Dialogus folia XVII habuerit (XIV ante lacunam, post lacunam duo et dimidium, id est folia tria, cuius ultimi pars aversa scriptura vacabat), Suetonius VII, fiunt folia XXIV sive quaterniones III, ita ut totus codex Hersfeldensis VI quaternionum fuerit, inter tertium et quartum duobus foliis inter se cohaerentibus interpositis, id quod haec imago illustrat:

quaternionio I fol. 1—8	{ Germania foliorum XII
„ II fol. 9—12	
fol. 13—16	{ Agricola foliorum XIV
„ III fol. 17—24	
foliorum par singulare f. 25. 26	{ Dialogus foliorum XVII
quaternionio IV fol. 27—34	
„ V fol. 35—42	{ Suetonius foliorum VII
„ VI fol. 43	
fol. 44—50	

quae si recte demonstravimus, sequitur ut foliorum sex defectum in Dialogo non ipse liber Hersfeldensis passus sit, sed eius archetypus, notaque hunc defectum indicans, qualem in Leidensis f. 26^r margini adscriptam legimus, iam in ipso Hersfeldensi locum habuerit. quocum optime concinit, quod teste

Decembrio ultima codicis Hersfeldensis columnella plena exibat in verba *libertatis auctorem ac vindicem* (Suet. p. 127, 4), sequens paucos tantum versus continebat usque ad *abstinuit cibo* (p. 127, 7) reliqua parte vacua, ut manifestum fiat, Hersfeldensem non ipsum in fine mutilatum fuisse, sed ex exemplari mutilo transscriptum.

Sed ut tandem ad Guarnerii Germaniam redeamus, secundum ea, quae adhuc exposuimus, potuit is, ut certe Agricolam ex ipso libro Hersfeldensi sumpsit, ita Germaniam indidem describere tum demum, si miro fortunae favore ipsi contigit, ut praeter Agricolam etiam reliquam libri Enochiani partem ab illo dudum avulsam manibus teneret eaque ratione archetypi partes olim dissociatas denuo coniungeret: quod fieri potuisse non nego, satis probabile esse non arbitror. contra si quis suspicetur, Guarnerium iam ante avulsum Agricolam integro adhuc libro Hersfeldensi e quattuor opusculis eo traditis prima duo in suum usum ita convertisse, ut alterum ipsum emeret eiusque folia integra servaret, male habita instauraret, alterum describeret, ei multa obici possunt, e quibus hoc mihi gravissimum videtur, non verisimile esse, Agricolam iam ante a. 1460 a Guarnero ex Hersfeldensi desumptum descriptumque per totum decennium vel quod excedit virorum doctorum studia fugere potuisse, cum Guarnerius non is fuerit, qui thesauros suos maligna curiositate ceteros celaret neminique eorum copiam faceret. testis est codex Toletanus bibl. capit. 49. 2 Germaniam et Agricolam continens¹⁾, quem in utroque libro Aesini apographum esse Annibaldius (l. c. p. 121 sqq. 168 sqq.) recte demonstravit: scriptus est anno 1474 Fulginiae per M. Angelum Crullum (*Michelangelo Grillo*) Tudertem, eius urbis cancellarium, cum eodem tempore Stephanus Guarnerius libri Aesini et scriptor et possessor, ut diximus, in oppido vicino Perusia eodem magistratu fungeretur et eius filia Fulginiae inter monachas Sanctae Clarae degeret (vide Annibaldum l. c. p. 142).

Sed quamvis de Germaniae Aesinae origine cum cautione iudicandum esse mihi videatur, de eius pretio ne minimum quidem derogare velim. nam hoc certum est, eius textum neque ex apographo **X** neque ex **Y** fluxisse, sed habere nos tertium testem sive ex ipso Hersfeldensi sive ex apographo

¹⁾ cf. O. Leuze in Philologi suppl. vol. VIII a. 1900 p. 513 sqq. F. F. Abbott *The Toledo Manuscript of the Germania of Tacitus* [University of Chicago, Decennial Publications, vol. VI a. 1903].

eius satis accurate facto et ab **X** et **Y** diverso cum religione descriptum, et iniuria me ante hoc biennium de hac tertia codicum familia dubitationes movisse. in recensenda igitur Germania ad apographa **X** et **Y** nunc **E**, ad cuius stirpem etiam codex Ariminensis a Reitzensteinio recte aestimatus cum libris eiusdem originis Vaticano 2964 et Ottoboniano 1795 pertinet, ita accedit, ut duorum testium consensus contra tertium quid in libro Hersfeldensi scriptum fuerit constituat. ad reconcinnandam memoriam exemplaris **X** ut ante solis duobus libris **A** et apographo Pontani, in cuius locum Leidensis **B** inde transcriptus succedit, utendum est, in restituendo exemplari **Y** qui libri praeter **CD** adhibendi quibusque ambagibus singuli e fonte derivati aut admixtis alterius familiae lectionibus fuscata sint, altioris indaginis quaestio est, quam nisi excussis omnibus horum libellorum codicibus aggredi non par est. in Dialogi et fragmenti Suetoniani recensione duobus testibus **X** et **Y** contenti esse debemus, e quibus collato in Germania libro Aesino cum utroque traditionis fonte nescio an apographo **X** aliquantum auctoritatis acreverit.

II.

De codicis Leidensis condicione fatisque cum iam ante duos annos in commentatione *Zur Beurteilung der Leidener Germania-Handschrift* inserta libello ad celebranda quinquevicensalia societatis historicae et philologicae Monacensis edito¹⁾ fusius egerim, nunc, cum licet totius codicis imaginem lucis ope accuratissime expressam proponere, fieri non potest, quin quae ibi exposui pleraque novis observationibus aucta hic repetam; quod eo minore cum invidia fiet, quod illa commentatio in paucorum tantum hominum manus pervenit.

Codex bibliothecae académiae Lugduno-Batavae signatus XVIII Periz. Q. 21 membranaceus formae quadratae emptus est teste Geilio (Catal. librorum mss qui inde ab anno 1741 bibliothecae Lugduno-Batavae accesserunt p. 122 n°. 414) anno 1742 incertum unde ex ea pecunia, quam a. 1715 Iacobus Perizonius moriens bibliothecae legaverat²⁾; falsa igitur est opinio,

¹⁾ *Festschrift zum 25jährigen Stiftungsfest des Historisch-philologischen Vereines der Universität München* (Monachii 1905) p. 1–13.

²⁾ quod idem testatur scidula imo margini folii primi recti agglutinata verbis a typotheta expressis: ‘Ex Legato Viri Clariss. IACOBI PERISONII’.

qua vulgo creditur ipsius Perizonii olim fuisse. volumen nunc tegmine corii fulvi ligatum constat foliis non numeratis (nam numeri singulis foliis plumbo inscripti novicii sunt) LIX, quinonibus sex, cuius extremi folium ultimum vacum desectum est; quiniones et ipsi signis numerisque carent, textus autem in confinio duorum quinionum ita continuatur, ut librarius in imo margine ultimae paginae quinonis prioris syllabas duas tresve primas paginae sequentis praenotare soleat: sic legimus (scripturae compendiis hic ut ubique solutis) f. 10^v *cum Maternus*, f. 20^v *modo*, f. 40^v *multum ut*, f. 50^v *ac ne*; deest haec notatio in f. 30^v, quae pagina inter Dialogi finem et Germaniae initium scriptura vacat. singulae paginae versus continent vicos binos scripturaque spatium complet millimetrorum in altitudinem 152, in latitudinem 95.

Codicem totum exaravit librarius idem litteratura usus aequali et eleganti, composita ea quidem ad imitationem exemplorum scripturae Italicae vetustiorum, ita ut obiter insipienti ad decimum potius undecimumve quam ad quintum decimum saeculum referenda esse videri possit; singularum litterarum in primis *e* et *r* formae langobardicae, quas dicere consuevimus, ab usu eius temporis, quo codex scriptus est, memorabiliter differunt. habemus tamen alterum codicem libri Leidensis non tantum consimilem, id quod primus Aemilius Chatelain monuit (*Faléogr. des classiques Latins* II p. 15), sed ita plane gemellum, ut ego nullus dubitem eum ab eodem librario exaratum esse contendere, codicem dico Tibulli Guelferbytanum 82. 6 Aug. 2^o¹), cuius folii 15^r (Tibull. I 10, 1—28) imaginem Chatelainius exhibit l. c. tab. CV, folii 36^r (Tibull. IV 5, 1—6, 6) simulacrum egregia Georgii Milchsack bibliothecae Guelferbytanae praefecti comitate nobis commodatum appendix instar ipsi huic libri Leidensis editioni subiunximus²). quas imagines si cum nostro libro accurate contuleris, videbis non solum singularum litterarum in primis earum, quas modo dixi, formas universumque scripturae ductum prorsus eundem esse, sed etiam distinguendi corrigendique usum rationemque

¹) cf. de hoc codice O. de Heinemann *Die Handschriften der Herzogl. Bibliothek zu Wolfenbüttel* vol. II pars 4 (1900) p. 44 n^o. 2829. Aem. Baehrens in edit. Tibulli p. X sqq. M. Rothstein, De Tibulli codicibus (Berolini 1880) p. 67 sqq. G. Goetz in Mus. Rhen. vol. XXXVII a. 1882 p. 141 sqq. S. G. de Vries in editione Epistulae Sapphus (1885) p. 8. B. Maurenbrecher in Philologi vol. LV a. 1897 p. 437.

²) per errorem in schedula imagini adfixa pro 82. 6 scriptum est 86. 2 indeque hic error in subscriptionem tabulae migravit.

satis singularem, qua vocativis parvola *o* littera superponi solet (habes tales vocativos v. gr. in Leidensi f. 2^r *Iuste*, 3^r et 7^r *Materne*, 11^r *Messala*, in tabulis duabus e Guelferbytano expressis Tib. I 10, 25 *Lares*, IV 5, 1 *Cerinthe*, IV 5, 9 *Geni*). Leidensem autem librum non pauci fuerunt, qui Massmanni (in edit. Germaniae p. 182 sqq.) auctoritatem secuti ipsius Ioannis Ioviani Pontani manu scriptum esse putarent, cum videlicet notas Pontani nomine inscriptas, quae in f. 1^v et in margine f. 47^v leguntur (vide supra p. IV. VIII), ab ipso libri scriptore de suo adipicias esse arbitrarentur. quod secus est. nam ut ex ipsius scripturae parilitate elucet has notas non a posteriore aliqua manu additas (quae fuit Reifferscheidii opinio, Suet. rel. p. XIII et XV), sed ipsi librario vindicandas esse, ita non minus certis argumentis demonstratur, hunc eas ex ipso exemplari transscrisisse; aliter enim fieri non potuit, ut in altera nota (f. 47^v) describenda omissis nonnullis verbis erraret mendumque postea exemplari iterum inspecto corrigeret: nam e verbis exemplaris ‘qui cum eam partem que de oratoribus ac poetis est inuenisset’ cum vocabula ‘eam partem que’ omisisset, falso corrigens supra versum ‘eam partem que est’ addidit, ita ut iam verbum *est*, quod post *poetis* scripserat, superfluum evaderet, quo circa hoc erasit et ad explendum spatium ex *inuenisset* fecit *adinuenisset* (ubi ad postea a manu correctrice B² deletum est). eodem facit, quod manus librarii a Pontano toto caelo diversa est, id quod, cum iam ex exemplis a Massmanno in favorem suae sententiae adhibitis (in primis e codice Monacensi 822, apud Massmannum tab. I 7^a) perspici potuerit, nunc omni dubitationi exemptum est, ex quo Benedictus Soldati Pontani carminum editor huius viri manu scriptos codices operum priorum non minus decem (Vaticanos septem, Vindobonenses duo, unum Matritensem) recensuit¹⁾ foliique ex uno eorum (Vatic. 2837) desumpti simulacrum alteri editionis volumini praefixit: cui scripturae cum nulla fere in re conveniat cum codicibus Leidensi et Guelferbytano, idem etiam de reliquis codicibus, quos oculis usurpare mihi non licuit, valere me docuit testis oculatus et peritus Erasmus Pèrcopo Neapolitanus. Itaque scripsit Pontanus non ipsum codicem Leidensem, sed eius exemplar mense Martio anni 1460 usus eodem libri Hersfeldensis apographo X, e quo Vaticanus 1862 (A) descriptus est; nam

¹⁾ vide Ioannis Ioviani Pontani carmina edita a Benedicto Soldati (Florentiae 1902) vol. I p. XXII sqq.; cf. Sabbadini *Scoperte* p. 148 n. 40.

B. Seppii sententia¹⁾, qui **B** ex ipso **A** transcriptum esse contendit, post ea, quae in commentatione supra p. XVI commemorata disserui, non est cur pluribus refellatur. quo loco et qua ratione Pontanus describendi codicis **X** facultatem nactus sit (qua de re dubitare video Sanctum Consoli in libro supra p. V n. 1 citato), quaerere in tanta testimoniorum penuria non aequum est; certe quamvis in aula Neapolitana degeret, vir antiquarum litterarum studiosissimus Romam aut Florentiam profectus libros nuper repertos inspicere et describere potuit, quem videmus anno 1451 Florentiae emere codicem Valerii Flacci qui nunc est Monacensis 802 (cf. G. Thilo in editione Valerii Flacci p. LXIII sq.) ibidemque a. 1468 Andreae Floci librum nunc Monacensem 822 (apud Massmannum p. 183 n. 1 n^o. 2). Pontanum describendi officio pro temporis sui consuetudine satis religiose functum esse inde in primis patet, quod archetypi lacunae in Leidensi non supplementis proprio Marte excogitatis resartae, sed omnibus litteris traditis diligenter servatis indicatae sunt f. 9^r (Dial. c. 12, 17 *gloria mor aut augustior*, ubi vel codex **A** ceteroquin accuratissime descriptus pro manco *mor reposuit more*), f. 17^r (Dial. c. 22, 15 *sensus opt et cum quodam*), f. 50^r (Suet. c. 7 p. 106, 6 *ut hoc*). nec minus accurate transtulit ex exemplari notas detrimentorum, quae archetypus passus erat, f. 26^r ad Dial. 35, 26 ‘deerant in exemplari sex pagelle uetustate consumptae’ et f. 59^v in fine fragmenti Suetoniani ‘amplius repertum non est adhuc; desunt rhetores XI’, ubi verba ultima ‘desunt rhetores XI’, quibus in **A** non est quod respondeat, Pontanus ipse addidisse videtur collato indice libello praemisso rhetorum deficientium numerum adsecutus; reliqua autem consensus libri **A** ex **X** desumpta esse demonstrat, cuius fides eo probatur, quod solus concordans cum testimonio Decembrii (p. VI) lacunam in altera parte Dialogi sex foliorum fuisse indicavit²⁾. porro variarum lectionum, quas in Hersfeldensi multas adscriptas fuisse ut antea iam complures viri docti suspiciati erant³⁾, ita nunc Agricolae Aesini pars antiqua apertissime demonstrat,

¹⁾ *Blätter f. d. bayer. Gymnasialschulwesen* XXVIII a. 1892 p. 169 sq. Philolog. vol. LXII a. 1903 p. 292 sqq.

²⁾ in libris familiae **Y** satis diversa traduntur: ‘multum deficit in exemplaribus quae reperiuntur’ (**C**) vel ‘hic multum deficit’ (sic Vatic. 4498) vel ‘hic deest multum: in exemplari dicitur deesse sex paginas’ (sic Ottobonianus 1455) vel ‘hic deficiunt quatuor parve pagelle’ (sic Venetus) vel ‘hic est defectus unius folii cum dimidio’ (sic Vindobonensis tab. publ. 711).

³⁾ de variis lectionibus Agricolae cf. C. Schenkl, *Zeitschrift für die oesterreich. Gymnasien* vol. XII a. 1861 p. 421 sqq. O. Leuze l. c. p. 518 sqq., praeterea vide Muellenhoffium l. c. p. 65. R. Reitzenstein l. c. p. 309 sqq. F. F. Abbott l. c. p. 36.

copiam aut totam aut certe selectam Pontanus in suum apographum transtulit, qua de re mox uberius dicendum erit. sed quamvis in his omnibus rebus Pontanus satis religiosum se praestiterit, tamen eum ipsa verba tam superstitionis sedulitate transscripsisse, ut nihil de suo mutare ausus sit, suspicari hominis perversi esse iam Lachmannus recte monuit (comm. in Lucret. p. 10). agnoscuntur autem Pontani coniecturae, cum ipsum codicis Leidensis librarium non in describendo sed solum in corrigendo codice suas emendationes adhibuisse mihi persuasum sit, iis locis, ubi codicis **B** lectio a prima manu exarata recedit a communi memoria fontium **AY** aut (in Germania) **AE** vel adeo **AEY**. debentur ergo Pontani divinationi — consulto feci et hic et in sequentibus, ut non totam materiam cum pulvrisculo exaurirem, sed exempla tantum ponerem e multis pauca ad illustrandam codicis indolem selecta — verae lectiones hae: Dial. 8, 15 *quoque (quosque AY)*, 17, 4 *Coelium (alium AY)*, 30, 6 *qua usos (quo ausos AY)*, 36, 12 *reorum (rerum AY)*; Germ. 18, 19 *pereundum (pariendum AY, parientes E)*; Suet. 4 p. 113, 13 *Ticida (Tigida AY)*, 11 p. 110, 5 *cauliculi (calculi AY)*, 25 p. 119, 13 *Messala (sala AY)*. quibus locis cum ingeniose archetypi menda sustulerit, saepius eum verba scriptorum corrupisse nemo mirabitur. quod doceant exempla haec: Dial. 14, 2 *Libanius (Vibanius AY, corruptum e Vipstanus)*, 18, 3 *Sergio et 25, 36 Sergium (Servio et Servium AY)*, 25, 33 *uerum (utrum AY, corruptum e Brutum)*, 36, 27 *cogerent (regerent AY)*, 38, 5 *competendi nationes (compe-rendinationes AY)*; Germ. 7, 16 *enumerare (numerare AYEY)*, 12, 7 *supplicia (flagitia AYEY)*, 14, 3 *uiro (uero AYEY)*, 22, 8 *transfiguntur (transiguntur AYEY)*, 31, 18 *exsangues (exsanguis AYEY)*; Suet. p. 99, 3 *Pilatus (Pilutus AY pro Plotus)*, 7 p. 105, 14 *Dionis (Dionysi AY)*, 23 p. 117, 19 *fatis (satis AY)*, 28 p. 124, 14 *Mancino (Nuncino AY, corruptum ex Nucerino)*. usus igitur est Pontanus eadem accuratae diligentiae cum laeto emendandi studio coniunctione, quam quamvis nos interpolationem vocemus ne a religiosissimis quidem illius aetatis viris doctis alienam esse videmus.

Advenit ergo Pontanus codicem mense Martio 1460 sua manu exaratum Neapolim, ubi non multo post inde descriptus est liber Leidensis non a scriba mercennario, sed a viro aliquo docto academiae Pontaniana. quod praeter ea, quae mox de textus emendationibus ab ipso librario factis disseram, illustrat Tibulli codex Guelferbytanus nostri gemellus, in quo idem vir, qui librum descriptis, postea (quod arguit pallidior atramenti color)

locorum hiulcorum supplementa addidit, quae a Pontano conficta esse Franciscus Puccius testatur (vide Baehrensii apparatus criticum ad Tibull. I 2, 26. 10, 25. II 3, 16. 78). eiusdem autem Pontani memoriam etiam alias quidam vir doctus ¹⁾ in eodem codice servavit margini adscribens explicaciones et commentariolos, quibus quinque locis (ad Tibull. I 7, 18. 8, 51 [bis]. III 5, 24. IV 5, 4; cf. Baehrensii praefat. p. XI) in fine nomen *Pont(ani)* adposuit quosque re vera e Pontani scholis fluxisse docet unius adnotationis consensus cum notis marginalibus editionis Catulli et Tibulli exemplari Vaticano adipictis, quas teste Fulvio Ursino sua manu Pontanus scripserat ²⁾: nam cum ad Tibull. IV 5, 4 (*dederunt*) adnotatum sit in Guelferbytano (vide nostram tabulam): „veteres soliti sunt eam syllabam corripere. Virgilius ‘steteruntque comae’. Lucretius ‘prime frugiferos fetus mortalibus egris di [de]derunt quondam praeclaro nomine Athenae’. Item ‘et primae dederunt solatia dulcia uitae’. Pont.”, ad eundem locum Pontanus haec adscripsit in exemplari Romano: „systole. sic etiam Lucretius libro sexto: ‘et recreaverunt vitam legesque rogarunt, et primae dederunt solatia dulcia vitae’”. eius autem scripturae, qua in Guelferbytano et haec nota et reliquae in margine positae exaratae sunt, tam consimilis est ea (**B¹**), quae in codice Leidensi et Dialogum totum et Suetoniani fragmenti priorem partem frequentibus glossis marginalibus adspersit, ut utramque eidem viro attribuere non dubitem codicesque Leidensem et Guelferbytanum non modo ab eodem librario profectos, sed etiam eundem adnotatorem passos esse censeam. Leidensem autem codicem etiam post annum 1476 Neapoli fuisse testatur eius margo f. 46^v. cum enim c. 46 Germaniae Tacitus Fennorum victum enarret in foeda paupertate degentium, haec hac nota marginali illustrat manus quaedam et a librario (**B**) et ab eo quem dixi glossatore (**B¹**) et a correctore (**B²**), cuius postea mentio fiet, diversa: „hoc idem confirmauit Alexander Soltan, id est dominus Lituaniae, cum ad Ferdinandum regem et inde Barum ad Divum Nicolaum

¹⁾ falli Baehrensum (praefat. p. X), cum eum qui supplementa addiderit diversum ab ipsius codicis librario eundemque fuisse censeat, qui notas expicatorias margini adscripserit, facile intelleges, si in Chatelainii tab. CV supplementa in imo margine posita comparaveris cum nota marginali nostrae tabulae Tibullianae.

²⁾ de hoc exemplari Romano, signato nunc Inc. II 200 (olim Inc. 502) cf. P. De Nolhac, *La bibliothèque de Fulvio Orsini* (Parisiis 1887) p. 226 et 382 n^o. 10. in meum usum unius paginae imaginem photographam intercedente Christiano Huelsen amico benigne faciendam curavit Pius Franchi de' Cavalieri bibliothecae Vaticanae scriptor.

se contulisset, dixitque haud procul Lituania esse hoc genus hominum, quos diuinigliudi id est siluestres homines appellant". iam vero hic Alexander Soltan, ut Felix Rachfahl Regiomontanus amicus me docuit, supremus aerarii Magni Ducatus Lituaniae praefectus, anno 1476 ex sententia concilii ecclesiae Kiiovienium auctore huius ecclesiae pontifice Misael Drucki Romam legatus est, ut cum Sixto IV papa de conciliandis inter se Rutheni Romani ritus Christianis ageret ¹⁾), indeque nota nostra testante peregrinationem sacram instituit ad celeberrimam Sancti Nicolai ecclesiam Barri in oppido Apuliae constitutam, quo vel ex remotissimis regionibus homines confluere solebant, cum ex ossibus confessoris liquor emanare diceretur humanis corporibus salutaris atque in primis sanandis oculorum stomachique malis idoneus ²⁾; in hoc autem itinere ad Ferdinandum I regem Aragoniae Neapolim devertit ibique aut is ipse, qui notam codici Leidensi adscripsit, aut fortasse Pontanus huius auctor eum de silvestribus hominibus Lituaniae Fennorum Taciteorum consimilibus narrantem audivit. postea eundem codicem in bibliotheca Iusti Lipsii fuisse acuta observatione repperit candideque mecum communicavit vir praeclarissimus Scato de Vries. nam cum inter libros 'Musaei Lipsiani' h. e. bibliothecae olim a celeberrimo hoc philologo possessae anno 1722 una cum bibliothecis Alexandri Petavii et Francisci Mansart ab Abrahamo de Hondt bibliopola Hagae Comitum ad venditionem publice propositos ³⁾ recenseatur codex ita descriptus n^o. 190: „Cornelii Taciti Dialogus de Oratoribus; Ejusdem liber de origine, situ, moribus, ac populis Germanorum; Suetonii Tranquilli de Illustribus Grammaticis liber MS. nitid. in membranis; in cuius libri capite talis reperitur nota. Hos libellos Jovianus Pontanus exscripsit, nuper ad inventos & in lucem relatos

¹⁾ cf. Albertus Wijuk Kojalowicz, S. J., Historiae Lituaniae pars altera (Antverpiae 1659) p. 245 ad a. 1476. Hergenröther-Hefele *Conciliengeschichte* VIII p. 266.

²⁾ Leandro Alberti, *Descrittione di tutta Italia* (Bononiae 1550) p. 216. F. Ughellus, *Italia sacra* VIII (1659) p. 835.

³⁾ Vide catalogum auctionis ita inscriptum: *Bibliothecæ Petaviana et Mansartiana. ou Catalogue des bibliothèques de feu Messieurs Alexandre Petau Conseiller au Parlement de Paris; et François Mansart Intendant des Bâtiments de France. Aux quelles on a ajouté le Cabinet considérable des Manuscrits du fameux Justus Lipsius. La vente se fera par Abrah. de Hondt, Le 23 Fevrier et suiv. 1722. à La Haye;* quo in libro p. 431—454 exhibetur 'Musaeum Lipsianum sive eximia manuscriptorum collectio... J. Lipsii' (cf. S. G. de Vries *Handelingen van het Tweede Nederlandsche Philologen-Congres*, gehouden te Leiden, 1900 p. 62 sqq.) ibique codicis n^o. 190 descriptio p. 434.

ab Enoc Asculano, quamquam satis mendosos. MCCCCLX martio mense. *folio minori*", nemo erit quin ipsum nostrum librum Leidensem agnoscat. qui quibus ambagibus a Neapolitanis ad Iustum Lipsium pervenerit quaeque fata praeterea subierit nescimus, nisi fortasse eum aliquando in bibliotheca alicuius monasterii Sancti Vincentii (e. gr. Mettensis) fuisse inde concluseris, quod in folio 1^v manus aliqua temporis incerti, quae etiam alibi otiosi calami lusibus codicis margines inquinavit (vide f. 1^r, 2^r, 4^r, 16^r, 59^v), sententiam adposuit litteratura libraria exarari coeptam, cursiva ad finem perductam hanc: „† Super aegros manus imponent et bene habebunt. IESus Mariae filius mundi salus et dominus per merita B. Vincentij Confessoris sit tibi clemens et propitius. Amen”.

Iam ut operam a librario in exarando codice positam accuratius examinemus, quin laudabili usus diligentia et sedulitate exemplar Pontanianum descripserit quavis codicis pagina inspecta dubitari nequit. lacunas sua usus coniectura explere non magis studuit quam Pontanus, notas marginales et eas quas Pontanus ex suo exemplari **X** sumpsit et eas quas ipse addidit (f. 1^v et 47^v) religiose transscripsit, orthographiae secutus esse videtur rationem Pontanianam nobis et ex autographis operum eius libris et ex eius tractatu de aspiratione sub idem fere tempus, quo haec opuscula exaravit, composito cognitam ¹⁾: scribit enim *coeterum, coelum, iusta, mistus, haerba, sullimis* secundum normam Pontani, ubi libri **A** testimonium *ceterum, caelum, iuxta, mixtus, herba, sublimis* in **X** (sicuti etiam in Hersfeldensi) fuisse docet; nonnumquam autem hanc viam deseruit, nam formas Pontanianas *effulxit* (f. 15^r, Dial. 20, 20) et *indulxeris* (f. 39^r, Germ. 23, 6) et *sullatos* (f. 34^r, Germ. 10, 7) ipse postea in *effulsit, indulseris, sublatos* correxit et scripturas a Pontano commendatas *himber* et *honerare* prae solitis *imber* et *onerare* sprevit et contra Pontanum in vocabulis *hostis, hospes, hortari* aspirationem omisit. librorum ordinem servavisse videtur Pontanianum, qui tamen ipse ab ordine codicis **X** diversus fuisse videtur. nam cum in Hersfeldensi Germaniam (Agricolam) Dialogum Suetonium hoc ordine se excepisse compertum habeamus, e duobus autem libris ex apographo **X** derivatis **A** Germaniam Suetonium Dialogum, **B** Dialogum Germaniam Suetonium sic conlocatos exhibeant, videtur **A** ut solet exemplar etiam in hac re religiosius

¹⁾ cf. B. Soldati I. c. I p. XCI sqq.

expressisse, Pontanus vero, ut duos libros Taciteos inter se coniungeret, Dialogum ex ultimo loco in primum transposuisse, cum similiter etiam libri ex apographo **Y** oriundi Dialogum et Germaniam coniunctos Suetonium aut praecedere (sic in Neapolitano **C** et Dialogo et Germania inter se transpositis in Vindobonensi tabul. publ. 711) aut subsequi (sic in Vaticano **D** et Veneto, inserto ante Dialogum Agricola etiam in Vaticano 4498) iubeant. distinctionis signis librarius usus est communibus virgula, puncto, interrogationis indice, raro virgula cum punto coniuncta, verborum in fine versum divisionem lineola transversa indicare numquam omisit, *i* litterae aut duplicitae (*ii*) aut litterae *u* vicinae (*ui*, *iu*) lineolam vel rarius punctum superimponere solet, *e* et *e* (*æ*) vocales in universum diligenter discernit. compendiis usus est frequentibus, sed vix usquam ultra solitum sui temporis canonem progressus; litteras singulares praenominum nonnullaque alia vetustioris originis compendia (ut v. gr. *·po· ro·* id est *populus Romanus*) punctis ab utraque parte adpositis indicat. graeca vocabula cum iam in Hersfeldensi aut omissa fuerint (vide v. gr. Suet. 14 p. 111, 14) aut litteris latinis exarata (vide v. gr. Suet. 3 p. 102, 12; 9 p. 107, 3), *Ισκιπνόγιον* Germ. 3, 14 secundum unanimum testimonium fontium **AEY** et in Hersfeldensi et in **X** servatum utrum Pontanus an librarius codicis Leidensis omiserit non dijudico. variarum lectionum, quas codex Vaticanus **A** ex exemplari **X** desumptas et saepius verbis superpositas, rarius in margine adscriptas, addito plerumque signo *l'*, ad sexaginta praebet, ne tertia quidem pars etiam in Leidensi occurrit, eaque omissa saepissime signo *l'*, ita ut non semper apertum sit, utrum librarius textum emendare an variam lectionem in exemplari repartam describere voluerit: v. gr. Germ. 39, 1 et 13, ubi **AE** in textu habent *Semnones (-num)*, varia lectione in **A** super textum, in **E** in margine addita *Semnones (-num)*, Leidensis f. 43^v exhibet *Senones (-num)*, quod interpretari poteris aut *Semnones* aut duplice lectione *Senones-Semnones* (*Semnones*). dupicum lectionum dispositio cum saepe ita immutata sit, ut id, quod in **A** in textu est, Leidensis superscribat, in textum autem recipiat id, quod in **A** aut inter versus aut in margine positum est, uter codex libri **X** lectionem et dispositionem reddat, dispici non potest; nam codex Aesinus, cuius ope hanc quaestionem dirimi posse dixeris, in duabus Germaniae exemplis altero loco cum **A** facit, altero cum **B**: habent enim Germ. 26, 7 **A** *labore*, in margine *l' laborare*, **B** ^{*l' labore*} *laborare* itemque **E** *laborare*, in mg. *labore*; contra Germ. 38, 16 **AE** *armantur*,

addita varia lectione (in **A** supra versum, in **E** in margine) *ornantur*, **B**
^{arm} *ornantur*. in universum autem per totum librum Leidensem hoc studium
adhibitum esse appareat, ut e binis exemplaris lectionibus altera eligeretur.
atque in universum is, qui hunc delectum fecit, modo eam lectionem quam
in textu scriptam inveniebat respiciens, modo suprascriptam aut in margine
positam adlegans, probo iudicio usus est lectionemque plerumque praeoptavit
aut meliorem aut saltem altera non deteriore, raro a veritate aut proba-
bilitate longius aberravit (veluti Germ. 6, 14 **AE** *coniuncto*, in marg. *cuncto*,
B *cuncto*; 31, 7 *nascendi* **E** et in **A** supra versum, *noscendi* **AB** et in **E**
supra versum). nonnumquam in **B** aut exemplaris duplices lectiones rectius
explicatas esse videmus quam in **A** (ut Dial. 41, 3 *quidem* **A**, *quis enim* **B**
recte) aut e duabus lectionibus tertiam reconcinnatam (velut Germ. 37, 26
ac rursus pulsi inde proximis adscripta ad *inde* varia lectione *nam* **AE**,
ac rursus inde pulsi in proximis **B**; Suet. 23 p. 117, 14 *parcisse* **A**,
pepercisse **B**). me ut putem non Pontanum sed ipsum Leidensis librarium
hoc minuendarum dupicum lectionum studium posuisse movet observatio,
quod hunc nonnumquam variam lectionem in transscribendo ab ipso receptam
postea corrigendo removisse vidi. quamquam duobus Germaniae locis, quibus
primitus in **B** idem scriptum erat quod in **A** 6, 21 (f. 33^r) *primo*, 39, 14
(f. 43^v) *corpore*, postea varia lectio deleta est priore loco radendo, altero
punctis suppositis, pro certo dici non potest utrum ipse librarius an corrector
B² deleverit (ego ut illud censem proclivior sum), tamen tertio loco Germ.
16, 4 (f. 36^v) clare dispicitur librarium primum id scripsisse, quod etiam **A**
in textu habet *longant*, deinde vero secundum variam lectionem in **X** sicut
in **A** suprascriptam radendo et corrigendo effecisse *locant* (**E** habet *locant*
in textu, in margine *longant*).

Quod vidimus librarium, cum Pontani exemplum transscriberet, ut
religiose ita non sine proprii iudicij usu egisse, idem studium etiam magis
apparet in correctionibus, quibus totum librum adhibito ipso exemplari
relegens multos locos emendavit. quarum cum longe maxima pars ita com-
parata sit, ut librarius lectionem exemplaris Pontaniani, a qua in transscri-
bendo per errorem deflexerat, restituerit (quod nonnumquam iam inter
scribendum fecit), tamen non paucis locis etiam sua coniectura medelam
adhibere paravit, neque id parum feliciter. vide haec exempla, ubi lectionem

cum **A** reliquisque libris consentientem **B** in textu posuit, postea autem emendavit: Dial. 18, 16 *in illis pro illis*, 23, 4 *invitus pro invitatus*, 29, 9 *dicacitati pro bibacitati*, 33, 19 *persequar pro persequor*, 34, 10 *magnus pro magnos*; Germ. 37, 8 *Papyrio pro Sapyrio* (sic **EX**, cum vera lectio *Papirio* etiam in **Y** e coniectura restituta sit), 39, 3 *patrum pro patrium*; Suet. 9 p. 107, 19 *marmorea pro marmoreo*. aliis locis divinando a veritate librarius aberravit reponens v. gr. Dial. 23, 28 *plenitas pro planitas*, Suet. 2 p. 101, 7 *Vectius et Q. Philocomus pro Vectius Q. Philocomus* (esse debebat *Vectiusque Philocomus*), 16 p. 112, 6 *Satri pro Satti* (corrupto ex *Attici*). his omnibus locis cum **B** primitus scripserit lectionem archetypi, postea demum emendaverit, non possunt hae emendationes Pontani esse, quas si iam in exemplari librarius **B** legisset, certe iam inter scribendum in locum lectionum corruptarum succedere iussisset. id quod apertissime demonstrant loci qualis est Dial. 38, 22, ubi pro libri **X** lectione *depacaverat* **B** in textu e Pontani coniectura habet *deparaverat*, a librario postea correctum in *depuraverat*. quos locos corruptela laborare videbat, quomodo autem emendaret non habebat, iis crucem parvolam in extima marginis ora adpinxit: mihi enim saepius examinanti hae crues, quarum pars a bibliopega desecta esse videtur, propter atramenti colorem ipsius librarii esse visae sunt. qui quomodo hac in re progressus sit, conspicitur v. gr. in fol. 52^v (Suet. 13 p. 110, 21), ubi vocibus *Staberius hero suo metre crucem corruptelae signum in margine interiore addidit*, cui deinde superposuit *heros nametra*, lectionem videlicet variam a Pontano ex **X** descriptam (nam **A** habet in textu idem quod **B**, suprascriptum *'eros nametra*), ab ipso autem librario in transscribendo spretam; similiter ibidem c. 1 p. 100, 7 (f. 47^v) pro lectione apographi **X** *adnotum est* (corrupta ex *adnotatum est*) Pontanus posuerat *at notum est*, librarius codicis Leidensis primum quidem de emendatione desperans voculae *at* crucem superposuit, postea medelam loco adferre temptavit *at* deleto insertaque post *est* copula *ac*. ceterum in emendando librarius ubique ita versatus est, ut litteras syllabasve, quas delendas censeret, aut punctis aut lineolis suppositis notaret, singulas litteras etiam lineola obliqua perlineret, scalpello autem non nisi raro uteretur.

Absoluto corrigendi officio idem librarius minio per totum librum grassetus est, hoc colore pingens inscriptiones singulorum opusculorum Dialogi f. 2^r, Germaniae f. 31^r, Suetoniani fragmenti f. 47^v, trium vocum *finit* f. 30^r in

exitu Germaniae positarum primam et ultimam, indicem *de rhetoribus* f. 56^r, notas marginales Pontani f. 1^v et 47^v: haec omnia ab eadem manu descripta esse, quae ipsum codicem exaravit, litterarum forma, in primis *e* et *r*, planissime demonstrat. idem rubricator, adhibito nonnumquam etiam caeruleo colore, litteras initiales minio adornavit Dialogi Germaniae Suetonii, in hoc etiam singulorum capitum litteras initiales, quas in transscribendo libro atramento in margine praenotaverat, hac arte explicans¹⁾, versum initia in carminum fragmentis f. 50^v, 52^r, 52^v additis hamulis rubris distinguens, semel etiam nominis formam in vita Aurelii Opilii (c. 6) clarius exprimens: nam cum f. 49^v initio vitae *opimus* scripsisset idque inter corrigendum *z* littera super *m* posita in *opilius* mutasset, postea huic *z* minio *ll* superpinxit — unde apparet miniaturam post correcturam codicis institutam esse — eodemque colore in sequentibus, ubi Suetonius de scriptura nominis per simplicem aut duplicatam *z* litteram verba facit, *opilius* et mox *i.* *opilius* supra versum adscripsit.

Praeter ipsius librarii operam satis strenuam et in textu et in marginibus libri Leidensis complurium scribarum studia animadvertuntur, quos neque certo semper dinoscere licet neque omnes recensere operaे pretium est. eius viri, qui f. 46^v notam de Alexandro Soltan Lituano supra p. XXI sq. illustratam adposuit, vestigia praeter hunc unum locum nulla reperio. hoc recentior est manus altera, quae iuxta hanc notam inter eam et folii marginem aegre spatium idoneum nacta adscripsit coniecturam *asperat* (legere ergo voluit Germ. 46, 4 *quas inopia ferri ossibus asperat pro asperant*) eademque comparet in margine f. 45^v ad Germ. 45, 8 *sueuici maris* emendationem *suionici* temptans. diversa est ea manus, quae f. 42^r ad Germ. 34, 10 *magnum* in margine adscripsit *magnificum* (huius vocabuli maior pars a bibliopaga resecta est), f. 47^v ad vocabulum postea a correctore **B²** erasum (fuit, ni fallor, *artibus*) *disciplinis*, utrumque punctis binis et in textu et in margine positis: cum utroque loco id, quod haec manus in margine posuit, postea a correctore **B²**, de quo mox exponemus, textui intrusum sit, hoc anteriores has notas marginales esse manifestum est. eandem manum deprehendere

¹⁾ f. 58^r cum M. Epidii vitam (c. 28) a praecedente separare in scribendo neglexisset, postea litteram initialem in medio versu miniatavit, f. 48^r ante Aelii nomen (c. 3) eandem ob causam paragraphi signum adpinxit. quod autem vita Staberii Erotis (c. 13) cum praecedente Cornelii Epicadi (c. 12) coaluit, hoc iam ante libri Hersfeldensis memoriam factum est: deest enim Staberii nomen in indice grammaticorum et rhetorum libro praeposito, qui in archetypo adhuc integro secundum capitum initia compositus erat.

mihi videor f. 20^v emendantem Dial. 28, 1 *qui in tum*, fortasse etiam f. 40^r corrupta gentium nomina Germ. 28, 16 et 21 *neruli* (pro *Nervii*) et *nubii* (pro *ne Ubii*) corrigentem bis littera *h* superposita in *heruli* et *hubii*.

Sed hae emendationes et notae omnes fortuito magis quam consilio et opera codici adspersae non magni ad eius historiam et indolem pernoscendam pretii sunt prae duorum virorum studiis, quorum priorem (**B¹**) glossatorem appellare placet, recentiorem (**B²**) correctorem. per totum enim Dialogum frequentissimae sunt in margine notae scripturae alicuius satis subtilis et elegantis, litterarum formis acutioribus quam quae in textu leguntur insignis, quam persimilem esse dixi (p. XXI) eius, qua in margine Tibulli Guelferbytani notae expicatoriae in iisque nonnullae Pontani nomine addito exaratae sunt, eundemque scriptorem prodere. nostro in libro glossator munere suo ita functus est, ut aut indiculos argumenti exhiberet (veluti f. 4^r *de utilitate eloquentiae*, f. 4^v *de voluptate eloquentiae*, f. 8^v *pro poetica*, f. 12^r *Apri sermo*) aut voces locutionesque singulares (veluti f. 2^v *dictio semota*, f. 5^v *favorabilis*, f. 6^v *patientissimus veri et insumere vitam*, f. 7^r *cui bono est*, f. 7^v *propitiare ingenium*) vel nominum et rerum mentiones memorabiliores enotaret (veluti f. 7^v *Bassus a Vespb. donatus*, f. 8^r *Nicostratus*, f. 11^r *Iulii Asiatici vita a Julio Secundo mandata litteris*, f. 12^r *a Demosthene ad Tacitum anni CCC*), compluriens etiam locos aliorum auctorum veterum ad illustrandum Tacitum idoneos adscriberet: sic f. 7^r ad Dial. 9, 20 primum quidem satis habuerat enotasse *domus mutuatur*, post recordatus loci Iuvenaliani addidit „Iuv(enalis) Maculonus commodat aedes ac longe ferrata domus seruire iubetur et quae conducto pendent anabathra tigillo” (ubi e versibus Iuv. 7, 40—46 cum gravi sensus detimento medii versus 42—45 omissi sunt), similiter f. 7^v ad Dial. 9, 37 adnotavit „silua placet Musis”, ad Dial. 10, 1 ex Ovidio (art. am. III 404) neglegentia metrum corrumpens „quid quaeritur (immo *petitur*) sacris nisi tantum fama poetis”; locum f. 10^v ad Dial. 13, 30 adscriptum „neque enim lacrimanda poetae mors cui perpetuo fama superstes erit” unde petiverit nescio, nisi quod pentametri exitus Ovidii est trist. III 7, 50. ad verba Dial. 13, 17 „quod alligati cum (immo *omni*) adulazione nec imperantibus unquam satis serui uidentur nec nobis satis liberi” cum notam legeris f. 10^r „quod ad curiales et aulicos principum totum pertinere uidetur”, agnoscere tibi videberis virum in aula regia, Neapolitana videlicet, degentem. hic vir ex opusculis hoc volumine traditis praeter Dialogum Suetonii quoque fragmentum

adnotare coepit, sed partem tantum operis absolvit, cum notae eius in primis huius libelli paginis frequentes desinant in f. 50^v enotato e Suet. 9 p. 107, i vocabulo *persenex*. puncta vero duplia (.., nonnumquam addita lineola .. / vel..—), quibus hic vir textus corruptelas in margine indicare solet (medelam iis adferre, quantum vidi, nusquam ausus est), et per Dialogum et per totum Suetonii librum occurunt, hunc igitur totum legerat, priusquam notas adscribere coepit. in Germania autem nullum omnino huius glossatoris vestigium conspicitur.

Iam ultimo loco ad correctorem B² ventum est, cuius non parvae in historia codicis Leidensis partes sunt, cum omnes tres libellos impigre et emendaverit et adnotaverit. eius manus facile agnoscitur, quia atramento usus est aliquantum pallidiore scripturaque non solum multis litterarum formis, sed etiam ipso calami ductu multo crassiore et a librario et a glossatore diversa. indiculi notaeque marginales iis, quibus glossator B¹ librum instruxit, similes sunt, sed multo exiliores, ultra vocabulorum nominumque in textu occurrentium enotationem raro progressae. uberiiores adnotationes legimus f. 33^v (ad Germ. 8, 10) „Haec siue Velida siue Veleda (in textu est *Voleda*) habita fuit pro sibylla, ut hic idem auctor in historijs suis meminit, tempore Vitellij et Vespasiani”, f. 38^v de potu Germanorum ex hordeo aut frumento in quandam similitudinem vini corrupto (Germ. 23, 1) „Ceruosae nomen est hodie”, f. 52^r (ad Suet. 11 p. 109, 12) „Cato poeta, de quo Catullus et Ouidius.” ceterum graecae linguae se non esse ignarum testatur in eadem pagina vocem *gurgustio* (p. 109, 21) corrigens in *georgustio* et in margine interiore adnotans „γεωγύω colo terram.” principalem autem provinciam esse censuit non enarrationem textus, sed emendationem eamque a prima usque ad ultimam paginam ita exercuit, ut quicquid ipsi corruptum videretur expungendo, lineolas aut subscribendo aut perlinendo, saepissime autem eradendo deleret novamque lectionem eius loco reponeret, rarius in margine adscriberet. quarum emendationum, cum per totum codicem (omissis meritis orthographiae correcturis) ad ducentas numerem, maxima est frequentia in Dialogo, rarissimae sunt in Suetonio, ita ut procedente per librum labore paulatim corrector segnior factus esse videatur. memorabile tamen est correxisse eum non solum textum cum ipsius librarii et correcturis et miniaturis (veluti notam Pontani in margine f. 47^v positam), sed etiam glossatoris B¹ additamenta, unde hoc eum recentiorem esse manifestum est: v. gr. f. 7^r in versu Iuvenaliano ad Dial. 9, 20 adscripto B¹ exaraverat *anabactra*, B² correxit

anabathra, f. 8^r cum **B**¹ e verbis Dial. 10, 19 *elegiorum lascivias* enotaverit *elegia*, **B**² radendo mutandoque inde effecit *elegii*, f. 48^v **B**² et in textu et in glossatoris nota marginali *Sescennius* mutavit in *Fescennius*. permagna huius correctoris emendationum pars ita comparata est, ut aut lectiones Pontano vel codici Leidensi propriae corriganter ad reliquorum codicum (ω) fidem aut loco lectionis apographi **X** reponatur lectio alterius familiae **Y** plerumque verior, quamquam paucis locis etiam deteriorem inde depropmpsit (veluti Germ. 2, 13 pro *ei filium* **XE** reponens *et filium ex Y* aut ibid. 38, 12 pro *solo* *in ipso vertice* **XE** cum **Y** scribens *in ipso solo vertice*). quae ut aliquibus exemplis illustrentur, vide hos locos:

B falso	B ² ω recte
Dial. 1, 4 eloquentia	eloquentiae
3, 11 emisit	omisit
13, 17 alligat	alligati
13, 30 mei	mea
22, 15 limine	lumine
38, 5 competendi nationes	comperendinationes
Germ. 12, 7 supplicia	flagitia
17, 4 fluitatem	fluitante
28, 16 citra affectationem	circa affectationem
31, 16 aliqua rura	aliqua cura ¹⁾
45, 39 degeneratur	degenerant
Suet. 30 p. 127, 2 redigerent	redigeretur.

alterius autem seriei, qua **B**² exemplaris **X** scripturam mendosam a **B** receptam ex **Y** emendat, vide haec exempla:

X falso	B ² Y recte
Dial. 7, 17 non	nomina
16, 35 uidetur	uester
19, 27 et potestate	ui et potestate
20, 6 dicentes	dicentem
21, 34 qui	quia

¹⁾ falsum esse quod Muellenhoffius dicit etiam in **A** primitus *rura* scriptum fuisse, codice mea gratia inspecto testatur Christianus Huelsen amicus, in **A** ab initio nihil nisi *cura* fuisse docens.

26, 19 post se	posse
29, 15 inuenires	inuenies
37, 18 curarum	causarum
Germ. 6, 8 immensum	in immensum
12, 10 uindicauit	uindicatur
17, 5 ferunt	gerunt
30, 1 ulera	ultra
38, 8 fusi	Fosi
45, 36 gens continuatur	gentes continuantur
Suet. 3 p. 102, 13 Catullo	Catulo
25 p. 121, 11 profluit	profluxit
28 p. 124, 13 Epidici	Epidii

iustissimum autem de correctoris **B**² indole iudicium feremus respectis iis lectionibus, quibus ille scripturam familiis **XY** (in Germania **EXY**) communem ideoque ipsi archetypo tribuendam correxit e coniectura aut sua aut aliena. multis sane locis **B**² textum interpolavit, lectionem archetypi leviter corruptam ita emendans, ut a genuina scriptura longius recederet, veluti Dial. 8, 15 genuinum *angustiae rerum*, quod invenit Lipsius, in archetypo abierat in *angustia ereptum* (sic **B** cum **ω**), **B**² coniecit *angustia parentum*, quod idem etiam Rudolfus Agricola proposuit; Germ. 40, 1 e vocibus *contra Langobardos paucitas nobilitat ultima ob similitudinem exitus praecedentis vocabuli* in Hersfeldensi corrupta erat in *nobilitas*, unde **B**² effecit *contra Langobardis paucitas nobilitas*; Suet. 25 p. 122, 5 ex *anasceuas et cata-sceuas* (id est ἀνασκευὰς et κατασκευὰς) **B**² fecit *anascenas et catascenas*. nonnumquam coniecturis otiosis temptavit quae sana erant, veluti Dial. 5, 14 reponens *solicite pro societate*, 7, 12 *notat pro vocat*, Germ. 8, 7 *nubiles pro nobiles*, 39, 12 *patentia pro parentia*, Suet. 11 p. 110, 3 *miretur pro miratur*. sed occurrit etiam non parva series emendationum vere egregiarum quasque iure editores cautissimi in textum recipere non dubitaverint. veluti Dial. 10, 6 *nedum pro medium*, 19, 17 *odoratus pro adoratus*, 36, 22 *parabat pro probabat*, Germ. 28, 11 *ab Osis pro a Boiis*, 46, 6 *conubiis mixtis pro conubiis mixtos*, Suet. 2 p. 101, 12 *generque Aelii pro gener Q. Aelii al. quarum emendationum pars cum etiam in aliis libris manuscriptis legatur (in primis in codicibus Vindobonensi bibl. Caes. Pal. 49 et Turicensi bibl. canton. C 56*

recentissimo), haud paucae occurrant in editionibus Francisci Puteolani, quarum prior Mediolani prodit circa annum 1475, altera Venetiis a. 1497, unde **B²** suas correcturas sumpserit ¹⁾ vellem hac occasione data ad liquidum perducere potuissem; sed est quaestio nimis intricata, quae nisi excussis omnibus trium librorum et codicibus et editionibus vetustioribus solvi non poterit, relinquendaque ei, cui amplior materia suppetet.

Primarium codicis Leidensis pretium in eo constitutum est, quod insigne nobis praebet documentum studiorum a doctis Italis renascentium litterarum aevo in transscribendis explicandis emendandis scriptoribus antiquis nuper repertis positionum. ad ipsam recensionem cuius auctoritatis sit, virorum doctorum, qui multi hunc librum usurpaverunt ²⁾, sententiae in partes satis diversas abierunt. nam cum ii, qui primi hunc librum adhibebant, Ludovicus Tross, Ioannes Ferdinandus Massmann, Franciscus Ritter paene omnem recensionis salutem ab eo solo sperandam esse censerent, qui secuti sunt editores, e quibus Augustum Reifferscheid, Adolphum Michaelis, Alfredum Gudeman nominare sufficit, multum de eius laude detraxerunt, et Carolus Muellenhoff, quo diutius in emendanda Germania versatus est, eo iniquius de Leidensi iudicavit. certe tamen in recuperanda apographi **X** memoria Leidensi carere nullo modo possumus, quamquam eum integritate libro Vaticano **A** religiosius descripto cedere ut iam ante facile perspici poterat, ita nunc edito libro Aesino plane perspicuum est; neque hoc miros nos habere potest, qui vide-rimus, codicis textum triplicem recensionem aut si dicere mavis interpolationem passum esse Pontani, librarii, correctoris. sed cum mei munera sit historiam codicis enarrare, non futuro horum librorum editori provinciam suam prae-ripere, verbum non amplius addo.

¹⁾ unum in margine adnotabo, quod fortasse ad opellam correctoris **B²** recte aestimandam facere possit, Dial. 22, 7 eum duplum praebere emendationem, pro vera archetypi lectione *laetiores* primum quidem reponentem *lectiores* (sicuti etiam 23, 23 *lectissima* pro *laetissima* scripsit), deinde cum Puteolano *latiores*.

²⁾ qui viri docti quo anno librum Leidensem excusserint tabula docet in scheda codici praefixa perscripta, quae haec nomina exhibet: L. Tross (1840), F. Ritter (1842), F. Ritschl (1842), I. F. Massmann (1847), C. L. Roth (1857), L. Schopen (1860), A. Reifferscheid (1860), A. Michaelis (1863), K. Meiser (1870), J. Gantrelle (1873), A. Holder (1875), L. Urlichs (1876), E. Baehrens (1881), J. Cornelissen (1885), J. J. Hartman (1893), C. Zangemeister (1893), G. Wissowa (1904).

*Le Sanguinem
quod*

Super et gressus manus imponant, & bens haec obib-

MIII. Etie.

*Et
50. Elio.*

I quoque omnes,

ACADIVGD

Ex Legato Viri Clariss. JACOBI PERISONII.

Hos libellos Iouianus pontanus excuppsit
nuper adinuentos et in luce relatos ab Enoc
Asculano. quaqua satis mendoſos. } M. CCCC.
lx } martio mſe

† Super ægros manus imponent & bene habebūt.

† Eſus Mariæ filius mudiſſalutis & dñi pmerita
B. Vincetū cofefforū ſit tibi clame, et pugnare. (Benedic)

CORNELII TACITI DIALOGVS DE ORATORIBVS INCIPIT

Sæpe ex me requiris Iustæ Fabi cupr cū
præiora secula tot eminentiū oratorū inge-
nii gloriaq; flouerint nostra potissimum
vitas deserta et laude eloqñtia orbata. uix
nomen ipsum oratoris retineat. Neq; enim ita
appellemus nisi antiquos. Horum autē temporū
diserti causidici et aduocati et patroni. et qd
uis potius quā oratores uocatus. Cui pœnitatio-
nes respondere. et tā magna questionis pondus
exciperet ut aut de ingenio nřis male existi-
mandum si idem assentiū nō possumus aut de
iudicij si nolumus. uix hercule audere si mihi
mea sententia pferēda ac nō disertissimorū ut
nřis t̄pribus hominū sermo repetendus eēt. qđ
eandem hāc q̄stionē p̄tractantes iuuenis admo-
dum audiri. Ita non ingenio sed memoria et
recordatione opus est. ut que a p̄stantissimis
uiris et excogitata subtiliter et dicta grauitate
acepi. cū singuli diuersas uel easde sed probabiles

memoria
memori

ACAD. LYG'D

Cito Tragedia

quos utrosq;

Dicis semota.

causas afferrant dum formā sui quisq; et animi
et ingenii peddaret. iisdem nūc numeris. iisdēq;
rationibus psequar. sequato ordine disputationis.
neq; eīm defuit qui diutissim q̄q; partē susci-
peret. ac multū vexata et ipsa uertustate
nōrum tōrum eloquentiā antiquorū ingenii
anteferrent. Nam postero die quā Cupidius
maternus catonē recitauat. cū offendisse po-
tentiuī aiōs diceretur. tanquā in eo tragedie
argumento sui oblitus. cantū catonē cogitasset.
eaq; de re p̄ urbem frēqns sermo haberetur
ut neptū ad eum. M. ap̄. et Julius secundus
celeberrima cū ingenia fori n̄i. quos ego in
iudiciis nō utrosq; modo studiose audiebam
sed domi quoq; et in publico assectabam. misa
studiorum cupiditate. et quodā ardore uiu-
nili. ut fabulas q̄q; eorū et disputationes. et ap-
cana semotē dictionis penitus exciperet. quāvis
maligne pleriq; opināt̄ etup. nec secundo p̄mptū
esse sermonē. et appū ingenio potius et uina-
tus. quā institutione et l̄is famā eloquentiā
consecutū. Nā et secundo purus et p̄ssus et in

quantū satis erat p̄fliens sermo nō defuit. et
Aper cū exauditione imbutus cōtēndebat potius
lrās quā nesciebat: tanquā maiore industrie et
laboris ḡtiam habitus. si ingenium eius nul-
lis alienarū artū admiculū ^{ad} inniti uidet-
tur. Igitur ut in frācum cubiculū Materni se-
dēntem ip̄um quē p̄fidie fecit aequaliter librū
intra manus habentē dephendimus. Tu secundus.

Nihil ne te inq̄t Matr̄ne fabule malignorum
teffent: quo minus offensas catonis tui ames.
An ideo librū istū apphendisti ut diligētus
recteferes: et sublatissimā p̄faūḡ interpret-
ationi materia dederūt: emitteres Catonē
nō qđem meliore: sed tam securore: Tu ille.
Leges tu quid Maternus sibi debuerit et
agnosces qđ audisti. quodsiqua ēmisit Cato se-
quēti p̄ecitatione Thieses dicet. hāc enī tra-
gediam disposui iā et int̄a me ipse forma-
ui. atq; ideo maturare libri huius editionē
festino ut dimissa p̄prioē cura nouę cogita-
tioni toto p̄ceptoē incubam. Adeo te exage-
dit iste nō faciant inq̄t Aper quomin⁹ omissus

fabulas

+

negociū importasses

hac

Augustus

orationū et causarū studiis omne tempus. m.
circa medeā ecce nūc circa thieſtem consumas.
cū te tot amicorū cauſe. tot coloniarū et mu-
nicipiorū clientelē in forū uocet, qbus uix suf-
feceris etiā si nō nouū tibi ipſe negotiū impo-
tasses. Domiciū et Catone. id est nřas qq; histori-
as. et romana noīa grecorū fabulis aggregares.
et Maternus. Perturbaber hac tua seueritate
nisi frequens et assidua nobis cōtentio iā prope
in consuetudinē uertisset. nā nec tu agitare
et insequi poetas intermittis. et ego cui desidia
aduocationū obuicis quotidianū hoc patrocinū
defendende aduersus te poetics exerceo. Quo
letor magis oblatū nobis iudicē q me uel in fu-
turu ueret uersus facer uel qd iam p̄dem opto
sua qq; autoritate cōpellat. ut omisis forensiū
causarū angustiis in qbus mihi satis super q;
sudatū ē, sanctiore istā et Augustiore, eloqñ-
tiam colā. Ego uero inq secundus ante quā me
iudicē Aper recusat. faciā qd pbi et moderati
iudices solent. ut in his cognitionibus excuset
in qbus manifestū ē alterā apd eos partē gratia

pualere. q̄s eīm nescit nemine mibi cōuictio
rē esse. et usu amicitiē et assiduitate contu
bernii quā Galeriu Bassum. cū optimū virū
tū absolutissimū poēta. posso si poetica accusat̄
nō aliū video rē locupletiorē. Securus sit iqt̄
Aper et Salerius Bassus. et q̄s q̄s aliū studiū pot
ticē et carminū gloriā fouet. cū causas agere
nō possit. Et ego eīm quatenus arbitriū lūshu
ius inueniri non patiar. Maternū societāte plu - soliātē
rimū defendi. sed ipsum solū apud eos argua
qd̄ natus ad eloq̄ntiā virile et oratoria q̄ pat̄
simul et tuepi amicitias/assessore necessitatēs/
cōlecti pūicias possit. amitti studiū quo nō
aliud in ciuitate nřā uel ad utilitatē fructuo
sus. uel ad dignitatē amplius. uel ad urbis
famā pulchrius. uel ad totius impī atq; oīum
gentiū notitiā illustrius excogitari potest.
